

CANCELL:  
MARTIS B.  
1717:



34

Met' Iat̄egy Kuejig.

DISSERTATIO MORALIS  
DE  
**OBLIGATIONE DECORI,**

SE V

AN ET IN QVANTVM HOMO  
JVRE NATVRÆ TENEATVR  
VIVERE DECORE,

QVAM

S V P E R I O R V M  
P E R M I S S V  
P V B L I C Æ E R V D I T O R V M D I S Q V I S I T I O N I  
A D D . X I . A P R I L . A . C . M D C C X L  
H . L . Q . C .

E X P O N E N T

P R A E S E S

**M. JOANNES Krug, HAVGSD. Lvs.**

S. THEOL. STVD.

E T

R E S P O N D E N S

**SAMVEL DREHERVS, ZVL LICH. SIL.**  
PHIL. ET SS. THEOL. STVD.

---

L I P S I A E,  
T Y P I S R I C H T E R I A N I S .

PROTO-SYNEDRII,  
QVOD DRESDÆ EST,  
ELECTORALIS SAXONICI  
**PRÆSIDI PERILLVSTRI,**  
**ASSESSORIBVS SVMME**  
**REVERENDIS, MAGNIFI-**  
**CIS, EXCELLENTISSIMIS AT-**  
QVE AMPLISSIMIS,  
**PATRONIS SVIS**  
HVMILLIMA MENTIS DEVOTIONE  
COLENDIS,  
LEVEM HANCCE DISSERTATIVNCVLAM  
HVMILLIME OFFERT  
AVTOR  
**JOHANNES KRVG.**



## PRÆFATIO.

**I**n terna conservant, externa commendant, viri Sapientis scitum est. Et felicem, in quo concordi connubio utraque junguntur. Ut enim domus, si ornata externo polita fuerit, intra non caritaria cultu præsumitur; & quemadmodum iusta coloris in facie mixtura pro sanitatis internæ indicio haberi solet: Ita ad internam animi qualitatem concludi ex moribus externis sive uit, isque deum homo bene emi dicitur, qui salutatione constat. Nec suo ista praxis fundamento desstitutur. Nature enim si consideramus in homine &conomiam, ita quidem conjuncta esse in homine corpus & anima deprehenduntur, ut nihil accidere menti possit, in cuius partes non simul trabatur corpus. Mirandos reciproca hujus communionis effectus in Physicis experimur quam plurimos, ubi commoveri non posse sentimus animam, quin corpus insimul moveatur, & vice versa. Nec parciora intimi hujus commercii documenta babes in moralibus. Sic anima ad pacem & mansuetudinem composita mansuetus quoque non feroz erit hominis vultus: Contra, ubi ire furentis astro percitus est animus, agnina patientia vestigia facies habebit nulla. Cum igitur tanta sit utriusque partis in homine conjunctio, nec tunc eas separari posse, ubi de cmentatione totius hominis res agitur, rectissime concluditur. Docetur igitur intellectus, eam deum esse sapientiam optimam,

qua uti ad vitæ felicitatem quam commodissime possis, & ipse  
hinc concludet, abesse omnino debere ab ipsa morum seuditatem  
ac ineptitudinem: Emendetur voluntas, ut prona fiat ad con-  
siliandam sibi aliorum benevolentiam, sine qua tranquille agi  
societas nequit, & non indigebit morum censore corpus, qui ad  
aliorum consuetudinem illud transfiguraret. Hinc videmus, unde  
quondam profluxerit morum in iis, qui eruditii appellabantur,  
ruditas. Nempe id ipsis erat praestantissima sapientie pars,  
que nudis speculationibus absolvebatur ad vitam plane inui-  
libus. Huic intellectus errori junctum in voluntate mororum  
vitæ solitaria studium efficiebat, ut eo magis eruditii isti se de-  
scendisse in sapientia antra putarent, quo magis remoti a vita  
humana erant ipsorum mores. Sed licet totam fere quondam  
eruditorum gentem percrebuisse falsa ista opinio, salva tamen  
mansit veritas, ipsoque persecutorum suorum testimonio fuit  
confirmata, quod his verbis præbuerunt: Qui proficit in literis,  
& deficit in moribus, ille plus deficit, quam proficit. Quanta  
vero sit ista morum pulchritudinem seständi necessitas, in pre-  
sentiarum disquirere animus est. Cogitantes vero, unde illa  
proficiuntur, altius eam radicari, quam in levi aliqua com-  
mendatione, qua carere facile possis, deprehendimus, adeoque  
opus erat inquirere, quatenus ipsum jus naturæ regulas decori  
nobis prescribat. Absolutitur vero Tractatio ipsa tribus capi-  
tibus, in primo eoque proximali termini explicantur, ostendendo,  
quid sit decorum, quid sit obligatio. In secundo de de-  
cori officiis in specie, in tertio autem de nostra ad illa officia  
praestanda obligatione agitur. Annuat D E V S cœptis! Tu vero  
L. B. nostros & scribentium & disputantium conatus equi bo-  
nique consule. Valeo.

## CAP. I.



## C A P . I . P R O O E M I A L E E X P L I C A T T E R M I N O S .

### §. I.



Insertionis nostræ facturi initium recordamur receptæ hactenus explicandorum terminorum consuetudinis, præcipue, cum de eo, quod in medium producimus argumen-  
to, non eadem omnium Philosophorum sit sententia, multique, quid hac in re definitio-  
nem sit, quoad vocem imprimis decori, am-  
bigent.

### §. II.

Terminum vero, quem Dissertationis rubrum exhibet comple-  
xum, explicaturis in mentem primo venit notio decori, cuius ex An-  
tiquis Cicero hanc suppeditat descriptionem Lib. de Offic. I. Deco-  
rum id est, quod quoque persona dignum est, & cuilibet rei conser-  
taneum. Nos vero pleniorē Definitionē tractationi nostrā præ-  
missuri, ita decorum definimus. Decorum est in omni hominis actio-  
ne externa coram aliis suscepta id, quod ab ipsa lege naturæ sub-  
ratione decentia præcipitur, ut Humanitatē nihil indignum agens  
homo, contemptum & tedium aliorum effugiat, & digne contra sta-  
tu suo agens, favorem aliorum atque existimationem sibi conciliet.

### §. III.

*Genus* in hac Definitione vides esse: *Id quod in actione*.  
Scilicet affectionem tantum actionis indicat, non actionem ipsam  
vox decori. Et licet quædam actiones solius decori esse videantur,  
tales tamen non sunt: siquidem id, quod hujuscemodi actioni in-

A 3 est

est decori, ab actionis essentia distingui facile potest, ac distinguere omnino debet, cum eadem alias quoad Substantiam actio, vel unica accidente circumstantia, modo decora, modo indecora evadere possit, sicut in allato exemplo clarissime patet. Ut enim vir quondam caput tegeret, indecorum; ut mulier tegeret, decorum maxime censebatur ab Apostolo 1. Cor. XI, 7. seq.

#### §. IV.

*Differentia prima desumitur a Subjecto quod & quo. Subjectum quod sunt homines*, in animalia enim observatio decori non cadit, quippe quæ, quid pulchrum, quid turpe sit, discernere ob rationis defectum non possunt. *Subjectum quo sunt actiones hominis externe coram aliis suscep*t*e.* Actiones quidem; Rebus enim naturalibus licet decor quoque inesse dicatur Latinis, & nos decori vocem usurpare soleamus, ubi in altero nobis placet nescio quid natura indicatum: Tamen, cum hæc pro Passionibus potius, quam quæ moralitatem habeant, actionibus sint habenda, hic merito removentur. Actiones igitur sunt subjectum quo decori, quæ præcipi possunt, illæque *externæ*. Actionibus enim internis, quatenus aliqua pulchritudo adhæret, honestæ rectius ex quam decoræ dicuntur. Ad restringendum porro limitibus suis subjectum quo, additum fuit, esse actiones externas *corum aliis suscep*t*e.* In solitudine enim constitutus homo, aut eos tantum secum habens, sine quibus actio edi plane nequit, indecori nihil agere putandus est. Dari vero casus, in quibus etiam præsentibus pluribus aliquid committere licet, quod indecorum alias censetur, infra monebitur.

#### §. V.

Differentiam secundam desumptam esse vides a cognoscendæ principio, quod est ipsum *Jus nature*. Illud enim dum socialitatem præcipit, insimul jubet, ut, quæ sensibus aliorum ingrata sunt, omittantur, idque agatur, quod ad devincendos sibi aliorum animos facit, quæ, cum absque externa morum suavitate vel plane non, vel non satis feliciter fiant, hanc ipsam quoque una præcipi mandato quodam generali, quis non videt. Quod enim officia specialia decori attinet, non negamus, ista maximam partem a societate quavis indi-

indicari, atque imaginatione hominum tantum pro pulchris haberi.  
Verum singula illa, dum regulæ juris naturalis universali (Quicquid  
pulchrum est, illud est se&standum, & quicquid turpe, illud vitandum)  
a consuetudine subternuntur, indolem officiorum juris naturæ in-  
duunt. Inde est, quod Paulus i. Cor. XI, 7. ad naturæ dictamen  
provocet, licet Comæ, de qua loquebatur, submissio, res esset con-  
suetudine gentis tantum inducta. Cæterum, si quis ad alteram do-  
ctrinæ moralis partem, Ethicam intelligo, decori officia referre vel-  
let, non repugnarem, cum realiter disciplina illæ non differant, eo-  
demque res redeat, an ut societatis comodius agendæ medium, an  
vero ut externum quoddam virtutis ornamentum spectare decorum  
velis; utrumque enim esse, utraque ratione ab eruditis considerari  
deprehendes. Vid. celeberr. Budbei Elementa Philos. Pract. p. 130.  
& p. 472.

### §. VI.

*Differentia tertia petitur a ratione, sub qua præcipitur decorum.*  
Nempe cum Creaturarum nobilissima sit homo, non cœco aliquo  
impetu, ut animalium reliqua, ad præstanta officia adigi eum voluit  
pro sapientia sua Creator, sed indita anima rationali, cur hoc vel il-  
lud, ita & non aliter is agere debeat, scire ipsum voluit. Nec suffice-  
re videbatur Creatori ratio obligationis a supremo ejusdem in omnia  
dominio desumpta, cuius solius conscientia, licet nihil amplius, quod  
Affectibus hominis satisfaceret, accessisset, perfectissimam obligatio-  
nem fundere poterat. Verum infuso quoque, quod bonitatis summa  
erat, felicitatis desiderio, hoc porro nomine ad obeunda cuiusvis ge-  
neris officia hominem obstringere voluit, dum actioni morali cuivis,  
si rite præstata fuerit, honestatem, decentiam, jucunditatem arque utili-  
tatem adesse jussit summum Numen, sic voluptati dans officia, quæ  
oneri alias esse poterant. Unde, quod ὡς ἐν παράθεσι dixerim, vide-  
mus, homines in præstantis officiis eo semper inclinare, quo vis eos  
affectuum defert, qui vero delectus absque turpissimo officiorum di-  
vortio insitui nequit, Creatore sapientissimo id intendeante, ut omnia  
æque præstans homo officia, ex quovis percipiat honestatis, decoris,  
jucunditatis & utilitatis gratiam. Nos missis reliquis, quæ sub ra-  
tione honesti, jucundi & utilis præcipiuntur in actione se&standa, ea  
nunc persequimur, quæ sub ratione Decentia commendantur, per  
hanc

hanc intelligentes affectionem actionis externam, quæ oculis judicatur, (Cic L.II. de N.D. c.58.) & qua sensui aliorum grata evadit actio. Istam vero decentiam tanti esse, ut referri mereatur inter illas Actionum affectiones, quæ dum facultati nostra  $\alpha\gamma\alpha\theta\omega\delta\epsilon\delta$  s. bonisformæ satisfaciunt, novo insimul nos obligationis vinculo obstringunt, hic facile intelligit, qui cogitat Deum actiones sub specie boni præcipientem esse amantem ordinis, velleque, ut omnia  $\epsilon\nu\chi\eta\mu\omega\sigma\pi\eta$   $\kappa\alpha\tau\alpha\tau\zeta\pi$  fiant, (r.Cor.XIV,40.) & multo gratiorem esse virtutem perpendit, quæ juxta id, quod mentem honestate delectat, sensus quoque externos decore quodam demulcit, aut nullo minimum decore defœdatur. Ceterum si ad formandum felicius decentiae conceptum aliarum linguarum vocabula in subsidium vocare velis, idem exprimet Græcorum τὸ πείπον, ή ἐνχυμοσύνη; Gallorum biseance; Germanorum Anständigkeit/ Urtigkeit der Sitten.

#### §. VII.

Differentia *quarta* desumitur a *Fine*, qui duplex: nempe ut contemptum ac tardium aliorum effugiamus, corundemque gratiam nobis conciliemus. Ad hunc geminum finem ultimum devenitur per finem duplicum intermedium. Prior obtinetur ejus, quod bestiarum nos similes reddit evitacione, posterior accurata omnium circumstantiarum in agendo observatione. Ad utriusque classis officiorum ampliorem deductionem nos illico conferemus, ubi modo explicaverimus alterum, quod dissertationis titulus habet vocabulum.

#### §. VIII.

Minori vero illud difficultate laborat, cum in promptu sit exquisitissima illustris Pufendorfi definitio, secundum quam *ēst Obligatio qualitas moralis operativa, qua quis tenetur facere aliquid aut pati.* Vid. Jus Nat. & Gent. Lib. I. c. 6. §. 5. Quæ definitio cum expedita satis sit, plurimumque commentationibus illustrata, ut ei diuitius inhæremus, opus esse haud videtur. Progredimur igitur ad

### CAP.

## C A P. II.

*De*

### DECORO ET SIGILLATIM DE EJVSDEM OFFICIIS.

§. I.

**C**VM igitur decori notio sit satis explicata, ad ipsa ejusdem officia progredimur, quæ cum non nisi in aliis actionibus, tanquam subiecto quo, extent, juvabit in classes dispescendo actiones hominis demonstrare, quid in omni actione, quæ sensus incurrit, observandum sit, ne contra decorum peccemus. Quo facto facile erit demonstrare, *quod & quatenus* decoro nos obligatos existimare debeamus.

§. II.

Considerantes itaque hominem decori legibus subjiciendum, actiones ejus dividimus in eas, quas *cum bruis habet communes*, atque in eas, que *homini soli sunt proprie*. Illis, cum bestiis non assimilis homo sit, ope decori allaborandum est ipsi, ut ex turpi cum bestiis similitudine emergat: his licet solus prædictus homo sit, non minus tamen opera danda, ut persona sua dignas actiones reddat, eoque ipso se a fæce vulgi distinguat.

§. III.

In Actionibus, quas *communes* habemus cum *bruis*, ut decorum obseretur, hæc valet regula: *Quicquid hominem actiones has exercentem similem reddit bestiarum, illud est contra decorum.* Hinc subsumas: *Omnis actio, que pudori adversatur hominis naturali, et diuina excitat in aliis, bestiarum similem reddit hominem.* E. *Omnis actio, per quam pudor naturalis luditur et diuina excitat, est contra decorum.* Ut hac concludendi ratio firmetur, opus esse non puto, gentium cumulare consentientium testimonia, quorum si instituti ratio ferret, adduci non pauca poterant; sed ingredi homo se ipsum debet, statimque deprehendet, id quod a nobis dictum est, sensu in se naturali comprobari. *Quod enim quidam, bestiis ita quandam se assimilantes Philosophi, ut ex eorum etiam nomine Cynici (h. e. canini) appellati fuerint, nihil amplius decere in externis homines*

putaverint, quam bestias, illud uti in se satis est absurdum, ita infra hunc errorem refutandi redibit occasio.

§. IV.

Nos jam impertitis regulis substerneamus exempla & eundo per actionum in homine animalium species ostendemus, quid pudori naturali contrarium, quid ad tedium in aliis excitandum comparatum cum sit, pro indecoro censeri, coque nomine omitti debeat. Habet homo aliquid commune cum bestiis *in sui multiplicatione*, scilicet homo ut animal generat, coque in negotio pari passu ambulant animal rationale & irrationalis, utrumque enim facit, quo natura fertur. Verum, quod alias de ejusdem speciei suppositis in agendo constitutis dicitur: Duo cum faciunt idem, idem non est; id longe meliori jure hoc applies: Nimirum coeco naturae impetu cum satisfacit brutum ad speciei conservationem laborans, male inde concludas: ergo & homo ad prescriptum a natura finem tendens eodem procedere potest modo. Prater id enim, quod eundem cum brutis finem circa generationem sectari jusserrit natura hominem, non oblique in ejus mente impressit obligationem, qua ductus omnes in agendo circumstantias probe expendere debet homo, societatis rationalis membrum. Hinc videmus, toties nos pudore obduci, quoties contra tenacissimam hanc impressionem aliquid commisimus. Hac vetantur mariti cum uxoribus concubere in aliorum conspectu. Hac nos rubore suffundit, ubi membrum forte ab alio conspectum fuerit ad generationis negotium destinatum.

§. V.

Moveatur porro homo ut animal, moventur ejus partes ut brutorum: Ubi vis est, quod observet homo ne bestiis, vel quoad motum similis, turpe aliquid committat. Evidem, ut jam monitum, manet actuum quoad substantiam similitudo, sed tantum abest, ut hoc violandi decori licentiam afferre possit, ut causa sit, omni studio actiones suas ab actibus brutorum, quoad circumstantias distinguendi. Distinguat itaque homo a brutis totius corporis Motum inter eundem; neque oculos in tramitem desigat nimium, quod aproprium est; neque collum nimis elevet, ne camelum imitari velle videatur; neque dorsum ad portandum inclinet ad morem asini; neque ventrem premitat, post secuturus ipse; neque concitato nimis gradu

gradu deambulet, neque tardo nimium, & quæ plura hic suppeditari possunt monita. Hæc enim singula hominem quadam cum bestiis similitudine circumfundunt, quæ conditione sua, quæcumque deum sit, plane indigna est, & quod majus, locum dant aliis ad interna hinc concludendi vitia: quod utrumque, si objiciatur homini, non leniter, puto, ejusdem, si non omnem abjecit, pudorem irritabit.

§. VI.

Circa movendas *partes singulas* corporis non minorem adhibendam curam putamus, ne soluto moralitatis fræno contra decorum aliquid committatur. Sic cavendum, ne præsentibus præser-tim honoratioribus caninum in morem oscitemus, quin ne omnino oscitemus; quæ enim ad tollendum ab ea actione id, quod ipsi inest indecori, adhibentur media, v. g. manus ori facta impositio, re ipsa non tollunt, sed majorem nobis inesse languorem produnt, quam qui labia compescendo, quo minus in indecorum hunc motum pro-rumpat, impeditri a nobis possit, opus habentibus, ut manus in auxiliu vocemus. Gravius interim multo contra decorum peccatur, ubi ventum aliquis ex ventre prorumpere faciente impetu patitur. Sane, licet motus iste naturalis cuivis animanti ita sit, ut plane impe-diri absque damno non possit, admitti tamen ventorum horum exoneratio nequit absque honoris atque existimationis naufragio, cum tædium inde nascatur aliis molestissimum, nobis vero ignominiosissi-mum. Et quis motus omnes, omniaque quæ circa eos decent, enarrat.

§. VII.

Actiones porro cum animalibus communes habet homo, quæ ad nutritionem & conservationem pertinent. Edit homo ut animal, munit corpus ut animal. Utrobique cavere debet, ne quid admit-tat excellentia nature humanae indignum. Et cibos quidem quod attinet ingerendos, similem se bestiis homo gerit, non attendendo partim ad ciborum speciem, e. g. si quis edat, quæ commesta semel per gulam redditia sunt, hoc enim est caninum; si quis edat, quæ tan-quam excrementa per nares auresque exierant, quem appetitum suis appellare solent Germani &c. parim ad edendrationem. Sic den-te rodere ossa, itidem canum; ruminare comesta, pecorum; lambere comedenda, caprarum; labii plaudere, suum; turbuncinari, luporum est, & sic per reliqua. Cætera, quæ inter edendum obser-

vari pro loci, personarum cæterarumque circumstantiarum varietate debent, paulo post memoranda erunt: hic enim id tantum agimus, ut ostendamus, quid circa animales actiones homo cavere debat, ne in brutorum referatur numerum, quo eum referer nemo, si vel maxime actiones suas ad morem hodierni saeculi non composuerit; sed vel rigorosissimus morum censor satis eum reprehendisse putabit, ubi rusticatis labem ipsi affricuerit.

S. VIII.

Ad corporis ab aëris inclemencia defensionem æque homo ac brutum opus habent *tegumenta*. Et major quidem eorundem est apud hominem necessitas, siquidem illi natura non tantum negavit, quæ bestiis indulxit tegmina, verum & pudorem inesse ipsi voluit, qui, quo minus membra quædam conspectui aliorum exponantur, prohibet, qui pudor an & quatenus jure naturæ instilletur, disciplendi hic locus non est, postquam Cap. III. dissertationis hujus de obligatione agere, peculiari tractatione constituumus, jam officiorum divisione recensioneque contenti. Id queri adhuc poterat: Anne decori legibus sit adversa invalescens foemellarum in lauatori sorte constitutarum consuetudo, qua nudum ostentare in publicum peccatum solent. Verum licet hoc pudor naturalis non prohibeat, decorum ideo non evadit inter Christianos, quippe apud quos scandali evitandi tantum debet esse studium, quantum est ille ad turpia cavenda naturæ instinetus. Et cum lauatores istæ conditionis mulieres moris hujus fœditatatem in inferioribus taxent, cur id conditioni casitatiique sua tribuant, ut rem in aliis tanquam fœdam reprehensam in se pulchram decoramve efficere possint. Utli vero inhumana impudentia brutorum moribus accedere creditur homo, quædam velamine non tegens membra; ita non minus a decenti humanam excellentiam puritate recessere videtur, ubi aut sordida, veste sordidum reddit corpus, aut scatente stercore habitaculo, nares accedentium fœtore quam tædiosissimo lœdit. Huc referas reliquum membrorum corporis rerumque, quibus homo ad vitæ commoditatem utitur, habatum, a quo quid abesse debeat, ne inter pecora campi referatur, haud difficile colligetur. Interim exemplo allato demonstrare vel crassissimas in hac parte decori regulas violari solere, non ingratum, credo, erit. Legisse me aliquando memini (in Gedanken über allerhand

hand Bücher und Fragen/ Menf. Nov. 1688.) exemplum Doctoris  
a Principe ad coenam invitati, is cultrum suum producens, cum vi-  
deret squalore obdutum, saliva illico eum humectavit, squaloreque  
ad calceos defricato, sic purgatum produxit.

§. IX.

Dum vero diximus, hominem, siquidem decori studiosus esse  
velit, cavere debere, ne bestiarum evadat similis, intelligendum hoc  
esse de iis actionibus, quae vel pudori hominis aduersentur, vel tæ-  
dimm in aliis excitent, ab initio statim innuimus. Alias enim non  
negamus, deprehendi quoque in bestiis actiones, quae tantum absunt,  
ut ab hominibus peractæ, in vitio habenda sint, ut eas in sectando  
decoro exempli loco tibi proponere possis: cum ipsum virtutum  
Christianarum exercitium Scriptura animalium quorundam exem-  
plis inculcare non dubitet, vid. Matth. X. 16. & alibi. Scilicet, suis  
hic quoque bruta gaudent perfectionibus, illisque dignis, quae ho-  
minum imitatione exprimantur. Id vero dum agere parat,  
an bestiale quid agere dicatur homo? Neutquam vero, agit enim  
tunc, quod fini a Creatore præstituto convenit, nimirum ut,  
quicquid pulchrum in omni animali deprehendit, in se transferat  
nobilissima omnium Creatura. Id tamen hic notandum, *minus*  
*feliciter ad commendandam virutem, quam ad reprehendenda vitia*  
*adbiberi exempla ab actionibus brutorum petitæ.* Homo enim ani-  
mal superbum, gloriae decorisque cupidum cum sit, (ita vocatur a Pu-  
fend. J.N. & G.L.VI. c.1. §.31. & nos esse sentimus ipsi) erubescit qui-  
dem, ubi aliquid sibi inesse videt, quod tanquam turpe in bestiis, do-  
mino suo subiectis, taxatur: Est vero & homo affectuum suorum  
studiosus; si quæ igitur commendantur virtutes, desumpto ab ani-  
malium exemplis incitamento, effugia quæret, eaque in exemplis  
bestiarum contrariis facile inveniet, ut adeo

*Nil agat exemplum item quod lite resolvit.*

(Horat. Satyr. Lib. II. Sat. III. vers. 103.) Elegans hujus rei experi-  
mentum adducit Baylius in Diction. Histor. & Crit. Tom. I. p. 475.  
Imperatoris Sigismundi Uxor Barbara hoc mortuo marito suo ad se-  
cundas progredi nuptias volebat: Commendabant ipsi nonnulli  
morem turturis, quæ mare amissio suo solitudini se consecraret, qui-  
bus illa respondit: Si vultis mihi proponere bestiarum exemplum,

propohatis mihi velim illud columbarum ac passerum imitandum.  
Et sic false omnis exempli vis eludebatur. Seria vero, quæ contra  
hujuscemodi virtutis incitamenta, afferri poterant, si scire volupe  
fuerit, Baylius loco citato ista suppeditabit.

§. X.

Et hæc dicta sunt de decoro actionum bestiis æque ac homini  
convenientium. Progredimur nunc ad eas actiones, quæ *homini*  
*soli sunt proprie*, in quantum nempe & illæ decori legibus accom-  
modari debent. Et in his quidem ante omnia quoque cavendum,  
*ne brutorum homo evadat similis*. Mireris, id fieri posse in actione  
homini soli propria, sed mox patebit ejus, quod dixi, veritas. Scili-  
cet inest homini ratio, qua reætrice actiones suas præstare debet in  
universum omnes: si igitur id facere negligat, anne ut pecus agere  
censendus esset? e. g. Est loquela facultas homini soli propria, si ve-  
ro is eadem uti vellat ad repræsentandas res obsecrandas, nonne com-  
mitteret aliquid bestia quam homine dignius? Est facultas ridendi  
hominis solummodo, verum si is tanquam rationis expers omnia ri-  
su exciperet, anne omnium se risui exponeret: *Scilicet bestiarum simili-  
sus sit homo, non eadem tantum cum ipsis faciendo, sed alia eodem  
modo exequendo.*

§. XI.

Jusso igitur, quod turpe est exulare ab actionibus hominum,  
spectamus eas, *ut decori ornatu gratiore reddende sunt*, quod ut præ-  
stare posse homo, nec hic in devia prolapsus ridiculus evadat, specta-  
re debet & societatem, in qua, & actiones, quas agit cum omnibus  
suis circumstantiis, non neglecto, quem habere debet ad faculta-  
tes suas, respectu. Ex consideratione autem societatis, in agen-  
tia vivit homo, hæc fluit regula: *Contra morem societatis nihil esse  
dum.* Miram nempe morum diversitatem ubique reperias, hic  
pro decoro habito eo, quod indecorum alibi censetur, quin ejusdem  
gentis alio tempore aliud fuisse decorum, experieris. Sic apud Grae-  
cos Romanosque prærogativæ signum erat quondam capitis denuda-  
tio, apud nos subjectionis collibitum indicium. Sic majoribus no-  
stris mos fuit, manu porrecta acceptare se accedentes. Ubi igitur  
aliquis in societate Germanica vivens Graecorum aut Romanorum  
mores reducere solus, aut veterum Germanorum consuetudinem re-  
fusci-

fuscatore vellet, anne hac decori affectatione decorum violasse censemur? Nam:

*Si fueris Rome, Romano vivito more.*

Manet itaque firma regula, contra morem societatis nil esse agendum. Incidit hic quæstio, anne contra decorum sit vestitus ab alia gente mutuati in aliam gentem? *introductio?* Fateor, esset, si tantum unus vel alter in morem gentis alienæ se vestiret: verum dum integratio natio tacite semel convenit, ea imposterum habere pro pulchris, que ab alia quadam natione pro talibus venditantur, contra decorum ageret is, qui rituum avitorum nimium tenax, ad mores hodierni seculi se componere nollet. Cæterum anne magis decore ageret integratio natio, si majorum suorum circa vestes observatum morem retineret, illud in utramque partem disputari posse videtur. Alia res est, ubi de morum in loquendo, incendendo &c. ab alia gente eaque moratori, facta mutatione quæritur: hi enim, uti inseparabiles sunt mentis studiorum humanitate tintæ comites; nam

*- - - didicisse fideliter artes*

*Emollit mores, nec finit esse feros:*  
ita pro efflorescentium literarum fructu in gente aliqua sunt habendi.

### §. XII.

Secunda, quæ ex consideratione actionis ipsius, & quæ ipsam comitantur, circumstantiarum fluit, regula ita se habet: *In agendo omnes circumstantie sunt attendenda.* Fundatur ista in notissima moralis doctrina Doctorum regula, quod una circumstantia variet totum. Attendat igitur homo, ut gratiam actionibus suis conciliet circumstantiam quis s. Subjecti agentis. Videbit multa non dedecere inferioris fortis homines, quæ summo dedecori dantur in honorabilibus; multa non dedecere *Juvenes*, quæ *Senibus* summopere indecora sunt; multa non dedecere *viros*, quæ pro indecoris habentur in *feminiis*, dum forma viros neglecta decet, hos non item &c. Attendenda circumstantia *quid s. Objecti*. Non enim quævis quovis modo effari licet, ac eadem res, si diversa ratione proponatur, decora modo; modo indecora evadere potest, prout ad eam representandam adhibita fuerint vocabula plus minusque verecundiae praesententia. (vid. Aut. art. cog. Part. I. c. 14. p. 76.) Commendatur hoc nomine

nomine ab aliquibus consuetudo, qua, si quod in textu Hebræo occurrat, vocabulum, cui temporis cursu obscena aliqua notio supervenit, cum honestiore illud permutare solent, quamvis nondum satis constet, an eo præcise fine ista vocum permutatio adinventa fuerit. *Loci* porro circumstantia non negligenda, non enim, quæ inter privatos parietes licet, in publicum decent. *Temporis* quoque habenda ratio. Qui enim patris funus sequi vellet ueste variegata induitus, parum decorè ageret. Imprimis vero, cum quo res nobis sit, vindendum. Aliter enim, ut nos geramus præsentibus superioribus, opus est, quam si pares nobiscum fuerint. Sic si inter pocula æqualis æquali præbibere vitra collidendo vellet, ferret hoc decorum: Verum idem si faciet cliens Parrono propinaturus, læsi decori crimine absolví neutiquam poterit. Mittimus reliqua, quæ per actiones eundo, huc apponi poterant decori præcepta. Sicco tamen pede præterire non possumus quæstionem, an sit contra decorum, ut vir uestes suas cum muliebris, aut, quod per seriam commutationem saepius accidere videoas, ut mulier uestes suas cum virilibus commutet? Respondeo: Vestium ista commutatio aut sit ita, ut sciant omnes, latere sub ueste hominem alterius, aut ut non sciant. Si scitur, ut sci-ri potest, ubi e. g. personæ alicujus repræsentandæ gratia uestes commutatae fuerunt, avouias, ego quidem inesse video nihil, manet enim in mente spectatoris sexus distinctio, si vel maxime signum ejus non adsit externum. Aut, pergo, nescitur, sic concedo, inesse vestium mutationi avopias posse; sed a posse ad esse non valet consequentia. Pono enim casum, præditam esse foeminam animo a foeminina molitie longe remoto, fortitudine contra virili predito, istam cum videat, se honoris gradus, si ueste muliebri incederet, consequi non posse, hanc cum virili commutare, cætera vero ab intimiori virorum commercio abstinere, an istam aliquid, quod taxari possit, committere dicas? vix crediderim. Dicas vero: sed ita non extare sexus tam necessariam distinctionem, at responsio est in promptu; non extet; modo ne finis laedatur, cuius gratia ista uestitus differentia est adinventa: hac vero neglecta, atque ad petulantiam virili uestitu usurpat, non tam decorum, quam ipsam honestatem laedi, quis non videt?

§. XIII.

Superest *tertia* adhuc regula, quæ ex consideratione facultatum

tum nostrarum profluit: *In vita natura nihil est agendum.* Plurima quidem decori officia ita sunt comparata, ut a quovis exerceri facile possint; non tamen defunt, quæ edere prohibemur, cum natura puppetias ferre in eis præstandis noluerit. Sic decorum utique est, ut virili, hoc est, aliquantum robustiori voce vir polleat, sed valde indecorus evaderet, qui invidiosa quadam affectione natura hac in parte defectum emendare adversante natura conaretur; quamcunque enim operam homo adhibuerit ad expellendam naturam, tamen recurret, & non levem dedecoris maculam sibi affricari sentiet, ubi in eum illud dicitur Horatii:

*Aesuat & toto disconvenit ordine vite.*

Nec est, quod hic valde incusemus natura inclem tam: paulo enim curatus attendantibus occurret statim singularis quædam ejusdem compensantis liberalitas, qua ipsos quoque nævos, dum, nescio quam, ipsis inesse voluit gratiam, gratos si plane non efficit, molestos certe esse non sinit. Agnoscit hoc Seneca Controv. X. extr. Decenter, inquiens, facies, in qua aliquis nævus.

§. XIV.

Ad regulas hasce si mores suos composuerit homo, rusticatis macula ægre ipsa affricari poterit. Sed ne quis putet, se omnibus decori officiis fundatum, ubi nihil turpe objici ipsi potest, *refrant sane quam plurima* observanda, si omnem, quam morum civilitas præstat, gratiam experiri in se quis voluerit. Verum eorum recensionem suscipere, campum esset ingredi, in quo flores quidem aliquos decerpere possis, omnes vero in fasciculum colligere minime valeas; fertilissimam hanc virtutum segetem si quis conspicere vult, expositam eam reperiet in libellis, quos Galli passim conscriperunt, quales sunt: La civilité moderne. L'art de plaisir. &, qui primus omnium nominandus erat, Bellegardii Tractatus sub titulo: *Reflexions sur le ridicule.* Nos instituti memores deferimus ad

### C A P. III. DE OBLIGATIONE IPSA DECORI.

§. I.

**R**edit vero ista de obligatione ipsa tractatio ad quatuor potissimum capita: Qu. i. An omnino præcipiantur officia ista? 2. An

C

jure

jure naturæ præcipiantur, & quomodo juris illa præcepta innescant? 3. Quibus rebus eorum augeatur obligatio? 4. In quantum suspendi decori exercitium possit.

§. II.

Quæritur itaque, *an omnino præcipiatur decorum?* Omnium acerrime & doctrina & factis contra istud pugnavit integra antiquorum Philosophorum *sc̄t̄s*, *Cynica dicta*, in qua imprimis eminet Diogenes Sinopensis, (vid. Diogenem Laërt. Lib. VI.) Is scilicet eo indecori cum asseclis suis progrediebatur, ut abjectis omnibus, quæ ad augendam vitæ commoditatem & splendorem facere poterant, ne vase quidem retento, quo ante ad admovendum ori potum usus erat, hac insuper argumentatione decori autoritatem confodere auderet: *Si malum non est cœnare, nec malum erit cœnare in placea;* & culterius: *Si non malum est præstare uxori officium conjugale, nec malum erit illud præstare in loco publico.* Sed miserum hoc est Sophisma, a dicto secundum quid ad dictum simpliciter concludens, nec firmiori ratione procedens, quam si quis argumentaretur ita: Bonum est bibere vinum, ergo bonum est vinum bibi ab homine febri laborante. Debabant scire Philosophi illi, dari actiones quasdam, quæ bona tune demum sint, si omnes circa eas obseruentur circumstantia; atque ad vitium actioni affricandum vel unius circumstantia sufficere defestum. Sic actio bona est, juvare donis pauperem; verum quis necessit, omnem laudabilis hujus actionis evanescere bonitatem, si, quod dono datus pauperi, per furtum alteri fuerit ablatum. Dantur actiones per essentiam suam malæ, quæ nunquam fieri possunt bona; si vel maxime optimarum circumstantiarum concurso cumulentur: Dantur denique actiones, in quibus tanta circumstantiarum obtinet efficacia, ut nunc pro malis, nunc pro bonis censenda sint, prout temporis, loci, personarum, reliquarumque circumstantiarum habita ratio vel habita minus fuerit. Sunt hæc si non verba, certe mens est Doctissimi Bayllii, cui nos hæc debere non diffitemur. Dict. Hist. & Crit. Art. Hipparchia, quæ foemina Cratetis Philosophi Cynici. lit. D.

§. III.

Verum haec ratione nondum omnis sublata est difficultas: Jam enim nobis non sufficit, ut sufficiebat tractantibus Diff. Cap. II. indicasse,

dicasse, dari actiones, quas decori ornatu expolire moris est; sed hic in causas, quae obligationem fundunt, est inquirendum. Jure naturae illam injungi, jam supra innuimus: Restat igitur hic disquirendum, an tantum sub generali quadam ratione omnia decori officia præcipiantur, an vero sint aliqua actiones turpes, quas, quo minus certis circumstantiis exercemamus, pudoris sensus quidam naturalis prohibet. Quem jam citavimus, doctissimus Baylius, contra securi sentientes posterius affirmare dubitat. Audiamus ipsius verba ad defendendam hac in parte Diogenis sententiam tota comparata: "On re-, pondroit, inquit, à Diogene, que la Honte, par rapport à ces acti-, ons-la, est un sentiment naturel, & qu' ainsi c'est violer la nature, que de n'avoir point de honte en ces occurrences. Mais, repli-, quera-t-il, si c'étoit un sentiment naturel, il faudroit, que les ani-, maux, qui suivent si fidélement les instincts de la nature cherchaf-, sent les tenebres & les cachots pour travailler à la multiplication. Or rien n'est plus faux que cela. Il faudroit du moins, que tous, les hommes cherchassent en pareils cas la retraite la plus sombre, ce qui est encore faux. - - - On repliquerá à Diogene, qu'il suf-, fit, que les Nations civilisées soient sujettes à la Honte. - - Mais, à son tour il repliqueróit, que les peuples, qu'on nomme barba-, res, se font beaucoup moins écartez de la règle de la Nature, que, les peuples, qui ont tant multiplié, selon les subtilitez de leur esprit, les Loix de la Bienséance & de la Civilité; & qu'enfin le droit naturel n'étant point sujet à prescription, il est permis à chacun d'y rentrer en tout temps, & en tout lieu, sans avoir égard au, joug arbitraire des Coutumes, & de l'Opinion des Compatriots. ,

§. IV.

Verum haec omnia, licet satis specieuse dicta, me tamen adducere non possunt ut credam, illum qui nobis inest decori sensum a consuetudine ac institutione sola profici. Obstat enim i. quod hic supponatur falsum quoddam principium, nempe, quod juris naturae sensus etiam competit animalibus, quem errorem, si quis refutatum legere vult, adeat Pufend. Jus N. & G. L. II. c. 3. §. 2. Hic id animadvertisse sufficiat, quod ipse Baylius bestiarum actiones ad virtutis commendationem parum idoneas ex ea ratione statuat, quod jus dirigen ab ipsis absit quam longissime, vid. Dict. Hist. & Crit.

Tom. I. p. 475. 476. Nec valet 2. quod de ipsis hominibus contrarium facientibus adducitur. Ipsum enim juris natura dictamen ita suffocari potest, ut adfuisse fere non videatur: Non enim est sensus ejus mere naturalis, ut e. g. sensus appetitum movens in stomacho, sed naturalis moralis, ad quem, licet satis tenax sit, obdurescere tamen potest animus, ut præfracte homo agat, quod eidem est contrarium: quod cum contigisse sciamus ex Rom. I. 20. circa sensum de Deo, in mente altissime radicantem, quare non & hic fieri posse in re minoris momenti existimemus? Si igitur, quod 3. moneo, rite dijudicare juris naturæ dictamen, & quo usque se illud extendat, volumus, dijudicandum istud potius est ex præxi gentium moratoriorum, quam ex moribus barbarorum. Secus qui faciunt, idem mihi conari videntur, atque ii, qui corporis metiri vires viribus per morbum corruptis volunt. Sed inquis: Confusio facta est legum, dum legi naturali accesserunt leges civiles, varieque consuetudines. Resp. Accesserint; An vero gentes barbaras absque omni consuetudinis lege vixisse putas, ut ex eorum factis naturæ regulas excusculpere velis? Quid si dicam, per consuetudinem eorum vim factam esse legibus naturæ, quibus contra per statuta gentium moratoriorum sepes quedam præclusa fuit, ut eo illæ sanctius servarentur? Sordibus itaque suis indulget Diogenes, decora hinc non evadent turpia; publice in matrimonium coalescat cum Hipparchia sua Crates, non deerit vel ex ipsis affectis ejus Zeno, qui pallium prætendet, h. e. facinoris turpitudinem agnoscet. Et forte non falluntur erudit, quibus primi Cynicae sectæ Philosophi, ut decorum rejicerent, aliorum vitio decoro ad gravissima via tegenda abutentium, adducti videntur. (Budd. Elem. Phil. instr. T. I. Hist. Phil. c. IV. §. 35.) Cui sententiæ exin forte momentum accedere posser, quod, cum Antisthenes sectæ hujus autor sit primus, Diogenes tamen, ejus discipulus, pro Principe Cynicorum habetur, non obscuro sane indicio, addidisse eum ex vana gloriæ cupiditate Præceptoris sententiæ aliquid, quo ista a ceterorum Philosophorum placitis distingueretur; id vero esse reor decori ab actionibus proscriptionem, hac enim celebris haec Secta imprimis fuit, cum cetera moralis doctrinae partes ab aliis quoque traderentur. Taceo nunc sceleris ipsius Diogenis, unde ejus decori eliminandi conatus non potest non fieri suspectus. Nummos quippe adulterinos cudiſſe cum,

eum, ac omni voluptatis genere se volutasse, quin omnino atheisini suspicionem incurisse constat, quid quoſo boni ab ejus farinæ homine sperari posset? Conf. Diog. Laërt. c. 6. & Bayl. Dict. Hist. & Crit. Tit. Diogenes.

§. V.

Jam, ut vela contrahamus, eo res recidit, an *pudor* iste, quo e. g. ad sobolis procreationem publice laborare, nudique incedere vetamur, *naturalis dei possit, an minus.* Affirmamus nos prius cum Pu-fendorfio (J.N. & G. L. VI. c. 1. §. 31.) nisi eo, qui omnibus gentibus, naturæ leges non conculcantibus, est communis pudoris sensus, quem, cum aliunde accessisse satis demonstrari nequeat, merito natura in-ditum existimamus. Verum hic moveri videoas difficultates im-primit duas: alteram earum jam tetigimus; Objiciuntur nimirum *exem-pla gentium contrarium facientium,* qualia ut nunc taceam, quæ circa sacra Priapi apud gentiles gesta fuerunt, (de quibus videri potest La Mothe le Vayer, Hexameron rustique III. Journée,) idem Autor nar-rat in Dialog. d'Orasius Tuberò p. 156. de gentibus quibusdam, quod venerem exercerint in ipsis templis, id facinori huic prætendentes, quod si displiceret istud Diis, in animalibus idem iis ut displiceat oportere. Sed mittimus nos homines, qui, si bestiis se vel maxime non annumerarent, illis tamen accensendi essent, (conf. §. præc.) id tantum observantes, quod actio a bestialibus ejusmodi hominibus contra pudorem insitum commissa, turpitudine non careat, licet haec ab ipsis non agnoscatur. Quia in re nimiam consuetudini actiones transformandi potestatem tribuere reprehendimus Velthuysum de principiis justi & decori, vid. Pufend. I. c. §. 30. non enim istarum actionum turpitudo a consuetudinis dependet, ut in cæteris decori officiis, sed ab ipsis naturæ dictamine, quod ipse citatus autor negare non potest, dum dicit: Non sine gravi tamen peccato majores talium gentium ad illum impudicitiae gradum, ut nudi incederent, pervenisse. Et recurrisse pudor iste tenacissimus merito putatur. De Cynicis, qui data opera insanire volebant, haec Augustinus refert: (de C. D. Lib. 14. c. 20.) Vicit tandem pudor naturalis opinionem hujus erroris: Nam et si perhibent, hoc aliquando gloriabundum fe-cisse Diogenem, ita putantem, sectam suam nobiliorem futuram, si in hominum mémoriam insignior ejus impudentia figeretur; postea

tamen a Cynicis fieri cessatum est, plusque valuit pudor, ut erubescerent homines hominibus, quam error, ut homines canibus esse similes affectarent. Taceo, quæ eodem loco de iisdem perhibet, unde turpitudinis sensus non leviter tetigisse impudentes patet, & posito, omnem homines istos animo proscriptissime pudorem, non tamen solidiori ratione inde concludas, pudorem istum non esse naturalem, quam si exinde, quod conscientia detur erronea & cauterisata, natura nobis inesse conscientiam negare velis.

### §. VI.

Alterum, quod scrupulum hic imprimis movere solet, est, *quod ratione pateat*, cur actionem ad *specie conservationem* pertinentem in *occulto fieri* velit pudor, cum actus ad individui conservationem facientes e. g. edere, cum ostentatione fieri permittat: porro, cur *hæc precise membra sollicite adeo tegi jubeat, alia innoxie retegi patiantur*. Sed id tantum abest, ut probet hunc membrorum tegendorum & retegendorum morem a consuerudine proficiisci, ut, cum omnes moratores gentes in eo convenient, fundamentum suum in ipsa natura hædere, exinde manifestum fiat. Quotquot enim decori partes adduxeris, nullam tanto gentium consensu receptam monstrare poteris; ut adeo hic valeat Ciceronis illud: (*Quæst. Tusc. cap. 13.*) *omni in re consentio omnium gentium lex naturæ putanda est. Quo vero nititur pudor iste, fundamentum est geminum.* Primo nempe omni ratione consulere conatur excellentiæ suæ, cuius naturalem sensum habet, homo: dum igitur deprehendit, partes quasdam, per quæ excrementa exunt, ad excitandum tedium monitrundamque imbecillitatem ejus comparata, occultare illas omni ratione studet. Quam in rem apposite pronunciat Apostolus *I. Cor. XII. 23. 24. Secundo:* Postquam affectus per lapsum primorum parentum depravati fuerunt, prava libido per eas partes magno cum impetu proru[m]pere ardet. Hoc primum animadvertisentes Protoplasti, membris hisce tegumenta prætexuerunt, cum ante infantum instar innocentum nihil in se turpitudinis conspicerent, *Gen. III, 7. vide hæc pluribus deducentem Pufend. Jur. N. & G. Lib. VI. c. I. §. 31.*

### §. VII.

*Ex dictis igitur patet, quod secundo loco demonstrandum supra fulce-*

suscepimus, nempe, *an jure naturæ & quomodo præcipiantur decori officia*: Quædam scil. generali quodam præcepto inculcantur, relicta libertate, quæ ipsi substernere velis specialia officia; alia contra ab ipsa natura Canoni huic universalis subjiciantur, dum sensu interno homo percipit hæc esse turpia, hæc esse omittenda. Obligationi ad utriusque generis officia momentum ex sequentibus considerationibus accedit non contemnendum. *Corpori aque ac animo culturam debet homo*, aliter ac quondam putarunt eruditorum plurimi, eruditionis monstra vocari cupientes, quo factum est, ut monstra virtutis evadent, quibus veluti facies, qua ista se aliis conspicendi dare solet, h. e. decorum, deficiebat. *Debet id homo societas, ut se submitat ejusdem consuetudinibus*, quas vel ob vitia evitanda vel ob conciliandam actionibus gratiam induxit. *Debet rursus id sibi homo, ut actiones suas reddat, quam potest, illustrissimas*; jam vero, ut recte observavit quidam, duplēcēt actiones habent faciem, deformem & pulchram, hanc ut conscientibus obvertat ope decori allaborare debet, hoc enim neglecto, ut cum Quintiliano loquar, in quibusdam virtutes non habent gratiam, cum, eo observato, vitia quoque ipsa delectent. *Cavere omni ratione deber homo, ne viii se reddat suspectum*; hanc vero suspicionem nemo facile effugiet, nisi decori fuerit studiosus.

#### §. VIII.

*Augeri tertio*, quam decorum fundit obligationem, diximus. Fit hoc variis casibus: 1. *Si legē quadam externa sancta decori observatio fuerit*, ut factum esse scimus in Republica quondam Judaica (ex Exod. XX, 26. Deut. XXIII, 12. seq. & al. loc.) Romana postmodum, in qua peculiares constituti erant morum Censores. (Liv. Lib. IV. c. 8.) Sic legimus apud Aerodium, (in Pandectis rerum apud diversos populos ab omni antiquitate judicatarum Tit. XVI. de officio censoris c. 21. 27.) deliberatum esse de nota ejus, qui ad Censores ab amico advo-  
catus & in jure stans nimis clare ac sonore oscitaverat; alium senatu ejectum, quod præsente communi filia, conjugem ardentius esset osculatus, plura vid. apud eundem. Crescit obligatio 2. *si consuetudo actioni cuidam decoræ notionem adjunxerit justi aut iusti, honesti aut in honesti*, ita quidem, ut actio, qua decori alias lege tantum præcipiebatur, committi plane non possit, quin contra altioris obligationis

gationis officia delinquatur. Hinc est, quod tanto rigore caput mulierem velandum urgeat Apostolus, hoc subjectionis signo rejecto, vim fieri maritus dominio ratus, 1. Cor. XI, 7. seqq. idem quoque de ritu vela submittendi censendum. 3. *Status quoque observandi decori obligationem augere potest.* Et hoc nomine imprimis commendari aulicis videas. Præter id enim, quod vir aulicus aliorum moribus se accommodare favoris conciliandi gratia debet, peculiaris hic accedit exinde ratio, quod decoro publico neglecto in pejus mutari Principis sui res poslit. Hinc ceremoniarum magistri constituti.

#### §. IX.

In quantum *suspendi decori exercitium possit*, quarto loco me indicatum dixi. Faciam hoc paucis: Cessat 1. decori exercitium, ubi turpe quid actioni inesse nec natura nec consuetudo indicat. Sic supervacanea est eorum in observando decoro sollicitudo, qui sua defunctorum corpora lavari, aut viventium membra innoxia, velut brachia, pedes, conspici nolunt. Cessat 2. ubi, in qua vivimus, societas, aut sponte aut venia petita tollit, quod turpitudinis actioni affinxit. Cessat 3. decori exercitium, ubi prioris obligationis preceptum illud juber. Sic decorum non læsisset Maria Burgundica Maximiliani I. uxor, si vel maxime medicam manum applicari passa fuerit læsis membris, quæ extra istud vitæ discrimen præter maritum cuiquam offendere par non erat. Eadem ex ratione nimiam quoque notam Tychonis a Brahe in servando decoro tenacitatem fuisse censemus. vid. Hist.

#### §. X.

Et hæc sufficient differuisse de obligatione decori, qua in retractanda, si nuditatem quoque nostram, h. e. exiguum philosophandi facultatem conspiceris, rogatum Te volumus, ut benevolentia tua pallio eam tegas, D E O vero nostro dicimus laudem, honorem & gloriam jam & in secula.

Not. §. VII. lla. penult. vox ult. legi debet tuburcinari.

— ( ) —

00 A 6280



5b.

WIP

q100



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



Met' Iateg' Kueig.

DISSERTATIO MORALIS  
DE  
OBLIGATIONE  
DECORI,

SEV

AN ET IN QVANTVM HOMO  
JVRE NATVRÆ TENEATVR  
VIVERE DECORE,

QVAM

S V P E R I O R V M  
P E R M I S S V

P V B L I C A E E R V D I T O R V M D I S Q V I S I T I O N I  
AD D. XI. APRIL. A. C. MDCCXL

H. L. Q. C.

E X P O N E N T

P R A E S E S

M. JOANNES Krug, HAVGSD. Lvs.

S. THEOL. STVD.

E T

R E S P O N D E N S

S A M V E L D R E H E R V S , Z V L L I C H . S I L .  
P H I L . E T S S . T H E O L . S T U D .

---

L I P S I A E ,  
T Y P I S R I C H T E R I A N I S .

